

1.  
1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.





1704.

1. Boettnerus, Gottfried : De eruditio studiorum  
instaurandi methodi accelerantibus.
2. Gleichius, Dr. Tobias : De Optimi Salvatoris Terrae  
Christi Crucis.
3. Glesch, Dr. Tobias : De singularibus quorundam Theolo-  
gorum factis 1. Sept. 1704 & 1714.
4. Grotnerus, Mich. Henr. : De eo, quod per hunc est  
causa peris ex custodia delapsas.
5. Hausringius, Michael Jullius : De morali late cogita-  
tionum humanarum.
6. Hemmerberg, Joh. Christ. : An multos violentum  
patriam invasorem sine conscientia possit  
occidere?
7. Proculus, Immanuel : An sit honeste vivere  
secundum
8. Kemmerich, Dittes Henr. : De corona Borussiae  
Friederici regi et Electori a Deo data.

1704.

9. Mendelsius, Ludovicus: De fundo ex pacto eius  
simultane investitis alienabili.
10. Mendelsius, Ludovicus: Tractationis synopticae pro-  
cessus juris communis et imprimis Saxoniae Electoralis  
disputatio I.
11. Mendelsius, Ludovicus: Tractationis synopticae  
processus juris communis et imprimis Saxoniae  
Electoralis disputatio III.
12. Philippus, Fritus: Resolvenda Traditione  
et in gratia Dnem.
13. Poetsch, Georgius Augustus: De interrogato-  
ris communis in foris.
14. Tritius, Gottlieb Gerhard: De dominio, in rebus  
occupatis, ultra possessionem, durante.
15. Witsen, Ewemannus: De magis aestimandis academicis



1704

76. Wagner, Joh. Matthias: De jurebus ecclesiasticis  
magistratus politico a Romano pontifice  
creptis.

E  
ST  
R

Ben

M.C

Jo





278

1704, 70

5. 8a

M

QVID SIT  
**HONESTE VIVERE,**  
*secundum naturae praecepta*

In  
ACADEMIA LIPSIENSI  
DVCTV

**M. IMMANVELIS PROEELI,**  
Facult. Philos. Assessoris,

explicabit

**IO. FRIDERICVS KANDLER,**  
Schwarzenb. Min.  
S. S. Theol. Stud.

Dissertatione Priori,  
*Ad D. XII. Jul. MDCCIV.*

---

LIPSAE,  
Typis CHRISTIANI GOEZI.

H. M. Olesij



111  
HONESTE VIVERE  
QVID SIT

secundum naturae praecepta.

ACADEMIA LIPSIENSIS

M. IMMANUELLIS PROEFLER

Facult. Philol. Altorum

publicabit

IO. FREDERICVS KANDLER

scholaris

S. S. Theol. Schol.

Dissertatione Priori

ad Th. M. D. C. C. C.

LIPSIÆ

Typis Christiani Gessl.

M. Immanuel Proefler







## Quid sit honeste Viuere,

secundum naturae praecepta explicatum.

### PRAEFATIO.

**Q**uoniam honeste viuere ad omnes pertinet, cum cetera vitae negotia, pro officii cuiusuis ratione aliquibus tantum incumbant; praeceptum de honestate vitae, ab Imperatore Iuliano \* vti primum iuris fundamentum proponitur. A sanctis autem in nouo foedere viris, \*\* vitae ad honestatem transigendae ratio tam frequenter et serio vrgetur, vt omnis pene ipsorum cohortatio eo referri quodammodo possit. Cuius rei cognoscendae haud minor proinde in iuris disciplina est necessitas, quam in vita et moribus Christianis huius esse solet commendatio. Non enim Imperatore modo sed Christiano dignissima vox est Iuliani Caesaris licet a Christianorum placitis alieni *Orat.*

\* §. 1. Inst. de Iustit. et iure ff. l. 10 §. 1. eod.  
\*\* Rom. XII, 17. XIII, 13. I. Thef. IV, 12. Philipp. IV, 8. I. Tim. II, 2. Tit. II, 7. II. Petr. I, 7. 6. Iac. III, 8.

supra



I. Νόμος ἐστὶ παλαιὸς παρὰ τοῦ πρώτου Φιλοσοφίαν  
ἀνθρώποις φήναντος οὕτως κείμενος, ἅπαντας πρὸς  
τὴν ἀρετὴν καὶ πρὸς τὸ καλὸν βλέποντας ἐπιτη-  
δεύειν ἐν λόγοις ἐν ἔργοις ἐν ξυνουσίαις, ἐπὶ πᾶσιν ἀ-  
πλῶς τοῖς κατὰ βίον, ἀκροῖς (Petavius legit μί-  
κροῖς, sed Suartius prius retinet) καὶ μείζοσι τοῦ  
καλοῦ πάντως ἐφίεσθαι. *Vetus lex est ab eo pro-  
fecta, qui Philosophiam primus in humanum  
genus inuexit, quae hunc in modum sese habet:  
debere omnes ad virtutem et honestatem respi-  
cientes, studia sua ita comparare, ut in dictis  
factisque, in societatibus rebusque omnibus, tam  
paruis quam maioribus, honestatis rationem  
teneant.* Verum quid ipsa sit honestas, et in quo  
honestae vitae ratio imprimis versetur, tam est  
obuolutum, si secundum rationis iudicium ex-  
aminetur, quam vulgo voces hae usu tritae, iis  
qui popularem dicendi et sentiendi consuetu-  
dinem sectantur, perspectae esse putantur *Mot-  
thaeus Vayerius.* \*\*\* doctus in Gallia Philoso-  
phiae Scepticae assertor, latissime rationibus  
et exemplis persequitur, quam contraria apud  
gentes de honestate sit opinio, quod profana sint  
aliis, quae nobis sacra, rursus concessa apud il-  
los, quae nobis incesta, honestatem non natura  
constare sed lege, prosperum ac felix scelus  
vir-

\*\*\* Dialoge de  
la Philosophie  
sceptique. Le  
Bisquet sce-  
ptique.



virtutem vocari, nostra vitia esse, quae pu-  
tamus rerum. Inconditos Sophistas, Ergoti-  
stas brutos et paedagogicos, absurdum morem  
quorundam certe Cathedralium Philosopho-  
rum, occupasse praeiudicia hominum. Scholam  
*Pythagoreorum* dedisse sine ratione superstitio-  
sos, *Platonicos* somnia captantes et perplexos I-  
deales, *Zenonem* gloria praeumidos et intoler-  
abiles, *Epicurum* porcos voluptuosos, *Aristo-  
telem* de Schola contentiosos, *Pyrrhonem* du-  
bitatione suspensos. Licet autem parum ad  
veri cognitionem pertinet, ut intelligatur, per  
quos anfractus aut aberrationes ad suam quis-  
que sententiam deuenit, aut quid de hone-  
sta vita aliud aliudue senserit; vti tamen est se-  
culum, non abs re nec sine vsu fore putau-  
mus, si priusquam nostram sententiam explicem-  
us, nonnullorum hominum sapientiae opi-  
nionem clarorum decreta, circa honestum ex-  
cutiamus. *Dissertatione priori* Philosopho-  
rum celebrium sententias de honestatis ratio-  
ne proponemus, deinceps nostram mentem  
*Dissertatione posteriori*. Vt si cui aliorum  
placita cognoscere animus sit, priorem, qui no-  
stras meditationes consulere voluerit, postero-  
rem *Dissertationem* nostram inspicere possit.



De Philo-  
sophia Platonis.

**E**X prisca Philosophis, in praecipuo quondam honore apud veteres habita est doctrina Platonis. Cicero placita eius tanti facit, ut Platonem Deum et Principem Philosophorum putet, et eam eo errare malit (inipente quidem, ut ego opinor, nec sine infantia in nota) quam cum aliis bene sentire, eius ipsius sola auctoritate fretus. Georgius Hornius in *Hist. Eccles.* Platonicas doctrinas ceteris, quae tum florebant, Peripateticorum, Stoicorum et Epicureorum saniores fuisse commemorat, ut Iustinus Martyr et Augustinus *de Civ. D.* Platonem ex Mose sua dogmata hausisse scripserint, licet hoc ambiguae fidei sit, sacrumque dicit, ut in Scholis Christianis Alexandriae et alibi, veluti Propædia Religionis Christianae Philosophia Platonica fuerit, cuius praeceptis iuventus imbuebatur, ut melius caperet Theologiam Christianam.

Quomodo res  
sint cogno-  
scendae.

§. II. Laertius in *vita Platonis lib. 3. segm. 12. p. 173.* edit Amstel. 1692. Philosophum docuisse tradit, quod qui velent rerum initia colligere, illos oporteat primo species, quas Ideas vocant, secundum seipsas distribuere; secundo ipsum per seipsam honestum ac bonum, iustum, atque huiusmodi cetera subicere; tertio conspiciere, quae sibi mutuo cohaereant Ideae, exempli causa, iusta esse quae iusto communicant, honesta autem quae honesto. Idem *p. 219* addit, distinxisse Platonem in tria genera pulchritudinem (in graeco est τὸ καλὸς) aliam quippe esse laudabilem et formosam faciem: aliam quoque v sui deservire, ut instrumentum et domum, quae praeterquam quod speciosa sunt, vrbis nostris commoda sunt: tertiam legibus studiisque constare, eamque humanae vitae commodis maxime consilere. Pulchritudinis igitur species alia est laudabilis, alia vsui inferuit, alia commoditatem affert. τὴν ἀγαθὴν καλὴν τὸ μὲν ἔστι πρὸς ἑπαινον, τὸ δὲ πρὸς χεῖρον, τὸ δὲ πρὸς ὠφέλειαν. Add. notae Aldobrandini hac pagina.

Quid de ho-  
nestate statu-  
erit.

§. III. In quonam autem honestatis ratio constituatur a Platone, clarius perspicere licet ex *V. Politicorum, Alcibiade, Phae-*



Phaedro et Hippia. Illud enim in Politicis libris et Alcibiade a-  
git, ut ostendat omne honestum esse vile, ac bonum. Ita e-  
nim colligit: καλλίστα γὰρ δὴ τῶτο καὶ λέγεται καὶ λελέξεται,  
ὅτι τὸ μὲν αἰθέριον καλόν, τὸ δὲ βλαβερόν, αἰσχρόν. Scite  
nam ipsud et dicitur et dicitur: quod vile quidem honestum,  
noxium autem turpe. Alcibiadem autem, quem Plato existi-  
mantem introduxerat, honesta non semper esse vtilia, conuicere  
de contrario nititur, statuitque; ταστὸν αἰεὶ ἐφανη ἡμῖν πάλιν αὖ  
καλόν, τε καὶ αγαθόν. Quod J. Serranus in sua editione tom.  
II. p. 116. interpretatus est. Idem ergo nunc rursus nobis esse  
videtur honestum et bonum. Vitur vero ad confirmandam hanc  
sententiam hoc argumento: τὰ μὲν δίκαια καλὰ, τὰ δὲ κα-  
λὰ ἀγαθὰ, τὰ δὲ ἀγαθὰ συμφέροι. τὰ δίκαια αἰεὶ συμφέ-  
ροντα εἶναι. Iusta quidem sunt pulcra, pulcra vero sunt bona,  
bona vero conferunt. Iusta igitur vtilia sunt. Notandum est,  
versionem vocem graecam καλὸν reddere per pulcrum, sed  
etiam reddi per honestum συνομασικῶς. Et sensus Platonis vi-  
detur hic indigitari, quod per honestum nihil intelligi debeat  
aliud, quam quod bonum est.

§. IV. Ceterum quod in Protagora p. 208. edit. Lugdun. Obscura sunt  
1500. dicitur: πάντα τοι καλὰ, ἴσοι τ' αἰσχρὰ μὴ μέμικται. nonnulla.  
Honestia porro sunt omnia, quibus turpia non sunt mixta, non  
multo plus lucis habet, quam quod recte subiicitur: οὐ τῶτο  
λέγει, ὡσπερ ἀνὲ ἐλεγε, πάντα τοι λευκὰ, οἷς μέλανα μὴ  
μέμικται. Haud hoc dicit perinde ac si diceret, omnia alba, qui-  
bus nulla nigra miscentur? Neque intellectu facilius est, quid  
illud in Menone sibi velit: καλὰ εἰμαί, ἴων καλῶν καὶ αἰ εἰκόνες.  
Honestorum interprete Ficino, honestae sunt imagines. In quo  
enim Idearum honestas praecipue consistat, nondum liquet, ne-  
que ex adductis locis tuto colligi potest. In Hippia Maiore  
enim Philosophus tantum ostendit, quid honestum non sit,  
quodue imperite a Sophistis definitum sit. Videtur etiam Pla-  
to attributum potius honesti quam definitionem eius proposuisse,  
cum honestum vocat bonum, vti textus §. 3. citati docent.

§. V. Quod si definiretur honestum per bonum, oppo-  
ni Philosopho posset ratio ipsius Platonis, qua in Hippia pro-  
bat,  
An honestum  
idem sit quod  
bonum.



bat, honestatem per τὸ ὠφέλιμον *conducibile*, defini non posse. ὠφέλιμον inquit, τὸ ποιεῖν ἀγαθόν; τὸ δὲ ποιεῖν καὶ τὸ ποιεῖμενον, ἕτερον νῦν δὴ ἐφάνη ὅτι γὰρ τὸ ἀγαθὸν αὐτὸ εἶναι καλόν, ὅτι τὸ καλὸν ἀγαθόν, εἴπερ ἄλλο αὐτῶν ἐκείνων ἐστὶ. *Conducibile est, quod bonum efficit. Efficiens autem et effectum aliud esse nunc constat: Neque enim bonum pulcrum (honestum) esset, neque pulcrum (honestum) bonum, siquidem aliud unumquodque illorum esset. Idem quoque, quod Catoni Cicero de finibus IV. §. 49. hoc loco Platonis sententiae potest opponi: O plumbeum pugionem? Quis enim illud tibi primum concesserit? quo quidem concesso nihil opus est secundo. Si enim omne bonum laudabile est, omne laudabile honestum est (nonnulla exemplaria legunt, omne bonum honestum est) Quis tibi ergo istud dabit, praeter Pyrrhonem, Aristonem, eorumque similes? quos tu non probas. Aristoteles vero, Xenocrates, tota illa familia non dabit, quippe qui valetudinem, vires, diuitias, gloriam, multa alia bona esse dicant, laudabilia non dicant: Et hi quidem ita non sola virtute finem bonorum contineri putant, ut rebus tamen omnibus virtutem anteponant. Quid censes eos facturum, qui omnino virtutem a bonorum fine segregauerunt, Epicurum, Hieronymum, et qui Carneadeum finem tueri volunt? Quicquid praeterea apud Platonem in Hippia Maiore de Honesto, et in Phaedro de Fulcro occurrit, potius ad redarguendam Sophistarum arrogantiam, et quod nihil recti intelligant scriptum est, quam ut vera inde sententia colligi possit. Hinc Cicero I. Academ. de vniuersa Platonis Philosophia conqueritur: Platonis in libris nihil affirmatur, et dum in vramque partem multa differuntur, de omnibus quaeritur, nihil certi dicitur.*

De  
Philosophia  
Stoicorum.

§. VI. Dilucidius forte Stoici de honesti ratione statuunt. Qui quoniam virtutis vim teste Tullio mirifice tenebant, prope absoluti et perfecti, denique soli Philosophi iudicati sunt, nisi eorum licentiae Carneades restitisset. Et cum vita sua eis, quae differebant, congruente cunctis in exemplum exposita, ad optima quaeque quosque incitare cuperent, per singulas fere actates reperti sunt, qui sectae huius disciplinam venerati sunt. Primus eorum Zeno, Chrysippus, Cato Uticensis, Thrascas Paetus,

Hel-



Helvidius Priscus inter eos, quorum nomina in primis innotuerunt, commemorantur. Sed qui literis doctrinam Stoicam nobis prodidere, celebriores sunt L. Annaeus Seneca, Epictetus, et Marcus Antoninus Imperator. Hic temporis ratione cum Epicteto posterior Seneca ponitur; Gatakteri autem iudicio, huic longe anteferendi sunt duo priores, cum neque Seneca sibi semper constet, vniusque non sit coloris, et quod Cassius reprehendit, in eo animaduertas *πάντα ἐναρτώτατα, οἷς ἐφιλοσόφει ποιῶν ἡλέγχθη*. In plerisque contra facere visus est, quam Philosophabatur. Cuius rei vestigia comparent apud Tacit. *Annal. XIV, c. 7. Cap. II. vers. 6. Lib. XIII. c. 42.*

§. VII. Clemens Alexandrinus Stromat. Lib. 5, postquam dixisset *μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν, οἷδεν ἢ θεοῦ βασιλεὺς φιλοσοφία*, haec, ait, vulgo iactant Stoici, vnum bonum est, quod honestum est, ceterum falsa et adulterina bona sunt. Eodem modo Seneca Epist. 71. et 120. Nihil est bonum nisi quod honestum est. Quomodo autem bonum ab Honesto distinguatur, quae duo apud alios diversa esse, apud se tantum diuisa dixerat. Epist. 120. hunc in modum explicat Epistol. 118. *Bonum est, quod ad se impetum animi secundum naturam mouet, et ita demum petendum est, cum coepit esse expetendum. Iam et honestum est: hoc enim perfecte est petendum. Et paulo post loco dicto: Honestum est perfectum bonum, quod beata vita completur, cuius contactu alia quoque bona fiunt. Bonum societate honesti est, honestum per se bonum est. Sunt quaedam neque bona neque mala, tanquam militia, legatio, iurisdicio. Haec cum honeste administrata sunt, bona esse incipiunt, et ex dubio in bonum transcunt. Bonum ex Honesto fluit, honestum ex se est.* Paulo explicatius apud Laertium in Zenone lib. 7. p. 426. haec sententia Stoicorum praecipue Zenonis expressa legitur. Docuit enim, *πάντα ἀγαθὸν σύμφορον εἶναι, καὶ δέον, καὶ λυσιτελεῖς, καὶ χρησίμων, καὶ εὐχεστὸν, καὶ καλόν, καὶ ὠφέλιμον, καὶ αἰρετὸν, καὶ δίκαιον. Bonum omne conducens, et oportunitum, et lucrum asserens, et commodum, et utile, et honestum, et emolumentum praestans, et operabile et iustum esse.* Circa honestum vero haec Stoicorum mens est: *καλὸν δὲ λέγεται τὸ τέλειον ἀγαθὸν παρὰ τὰ πάγια*

Quid de honestate sentiant.



ἢ ἀπέχου τῆ τελείῳ συμμετρῶν. *Honestum autem perfectum dicunt bonum, quod omnes a natura habeat quæsitos numeros, sitque perfecte moderatum.* Hinc Hecato et Chrysippus lib. de Honesto dixit, μόνον τὸ καλὸν ἀγαθὸν εἶναι. *Solum honestum esse bonum.* Id vero esse virtutem, et quod virtutis esset particeps. *Honestum autem in varias dispecebant species, ita enim pergit Laetius εἶδεα δὲ εἶναι τῆ καλῆ τέτταρα, δικαιοσύνην, ἀνδρείον, κόσμιον, ἰσχυροεικόον.* *Honesti autem quatuor species tradunt, iustitiam, fortitudinem, temperantiam et scientiam.* Arbitrati praeterea sunt, honestum vnice ita dici, quod eos, qui hoc praediti sunt, merito omni laude et honore dignos faciat.

Marci Antonini Imperatoris Philosophia.

§. VIII. De Marco Antonino Philosopho seculi post natum Christum secundi Imperatore, extat apud Svidam in Marco sequens elogium *Philosophes autem (facilioris intelligentiae brevitateque causa damus tantum latina) Stoicos laudat, et fuit illorum imitator non solum vitae instituto, sed etiam disciplinarum studio. Vitam autem priuatam sic egit, ut se nihil esseret supra coeteros de plebe Romana ciues, sed ut pari libertate dicendi frueretur, nihil ob illam generis adoptionem mutatus est. Postquam ad Principatum est progressus, ut Monarcha populis praesuit, et summa potestate fruens, ad nullam insolentiam unquam est abreptus. Sed fuit ingenuus et largus in dandis beneficiis, et bonus et moderatus in gentibus regendis. Idem de eo tradit Eutropius Hist. Rom. lib. 8. Dio Cassius, Herodianus, Ariftides et Aurelius Victor. Cum crebro in ore illud Platonis verfaretur: beatas esse Respublicas, si Philosophi imperarent, aut Imperantes philosopharentur, dicitur Apollonium et Hermogenem praeceptores, etiam in Senectute adiuisse. Philostrati in Herode de Antonino verba sunt: ἐσπέδαξ μὲν ὁ αὐτοκρατορὶς Μάρκος περὶ Σέξτον τὸν ἐκ Βασιλίας Φιλόσοφον, Σαμιζῶν ἀντὶ, καὶ Φοιτῶν ὅτι Δύσας.* *Marcus Imperator Suidiosus erat Sexii Philosophi e Bocoia oriundi, adeo ut ipsum frequenter atque ad eius fores ventitaret. Quod idem confirmat Zonaras Annal. Tom. 2.*



§. IX. Extant Imperatoris Marci Philosophiae monu- *Marci Anto-*  
menta in libris duodecim τῶν εἰς σεαυτὸν *de rebus suis, siue*  
*nimi scripta.*  
de eis quae ad se pertinere censebat comprehensa, quae cura  
Guilielmi Kylandri primum, deinde Merici Casauboni, denique  
graece et latine cum eruditis Thomae Gattakeri commentariis  
nitide admodum prodierunt. Notant cum Cl. Salmasio erudi-  
ti, Imperatorem Philosophum, plurima ἀπέφραξα et quasi ab-  
rupte inchoata proposuisse, vt neque sibi inuicem conhaere-  
ant omnia, eademque saepius repetita inueniantur. Quod in-  
de fuit, quia Marcus Antoninus non tam domi in otio, sed mi-  
litiæ et vti publicæ ferebant curæ Imperatoris, monita sua  
cōsignauit. Hinc egregiæ quidem de honesta vita apud ip-  
sum sententiæ et explicationes occurrunt, exquisita honesti  
definitio nonperinde in scriptis suis obseruatur.

§. X. Honestissima nimirum est vitæ ratio, quam prae- *Eiusdem sen-*  
cipit lib. 3. §. 4. (vt ex plurimis pauca apponamus, ex versione *tentia de ho-*  
quidem latina, ne lectori in Græcis minus versato, graeca vel *nesta vita.*  
taedio fiat vel nimium proluxa.) *Quod superest vitæ reliquum,*  
inquit, *ne conteras in cogitationibus de rebus alienis, nisi si quid*  
*ad Communem vtilitatem spectauerit, puta cogitando, quid iste*  
*vel iste agat, et quorsum hoc vel illud agat, quid loquatur, quid*  
*cogitet, quid machinetur et cetera. Etenim operis alieni obser-*  
*uatio, a mentis propriae custodia cogit euagari. Oportet itaque*  
*in cogitationum serie frustraneum et superfluum omne declina-*  
*re: curiosum autem et malignum multo magis. Assuescere*  
*vero te debes, vt ea dumtaxat cogites, de quibus si quis subito*  
*requisiuerit, quid nunc in animo versas? libere statim re-*  
*spondere queas, istud vel illud. Unde palam fiat exemplo, esse*  
*omnia apud te simplicia beneuolaeque si aut animalis sociatis et*  
*cogitationes omnes neglectim habentis, quaecunq; voluptatem aut*  
*luxum illo modo respiciunt, aut aemulationem etiam, aut inui-*  
*dentiam et suspencionem, aut aliud quidlibet, de quo proloqui*  
*pudeat, hoc te vel illud in animo habuisse. Vir ita compositus,*  
*quo minus in optimorum numero censeatur, iam nihil interest,*  
*cum Deorum sacerdos ac minister quidam existat, eoque quod in-*  
*tra se gerit numine rite utatur. Quod hominem vtrique praestet*



intaminatum voluptatibus, dolore animi illaesum, contumelia ir-  
 tactum, improbitatis ne sentientem quidem, certaminis praec-  
 stantissimi, ne affectu scilicet ullo subvertat nobilem, iustitia  
 penitus inbutum, ex animo prorsus amplexantem, quaecumque  
 ex lege diuina illi attributa contigerit. Sic etiam reliqua ob-  
 seruatu honesto viro dignissima sunt, vti etiam illud lib. 9. §. 33.  
 Mentis tranquillitas tibi sit in eis, quae ab externa causa profi-  
 ciscuntur. Iustitiae ratio in eis, quae ab interna efficiuntur, hoc  
 est intentio tua actioque omnis, hunc solum sibi finem propositum  
 habeat, vt ad societatem humanam, quod conducat fecerit, vt  
 pote quod naturae tuae consentaneum existat.

§. XI. A Stoicorum et Senecae sententia circa honesti  
 explicationem parum recedit ecclesiae primitiuae, vti vocant,  
 Pater Ambrosius Episcopus Mediolanensis. Libro enim 2. officio-  
 rum diuinorum cap. 3. ait: nihil bonum scriptur a nisi quod hone-  
 stum asserit, virtutemque in omni rerum statu beatam iudicat,  
 quae neque augeatur bonis corporis vel externis, neque imminua-  
 tur aduersis: nihilque beatum, nisi quod a peccato alienum sit,  
 plenum innocentiae, plenum gratiae Dei. De pulchro autem  
 et honesto hunc in modum philosophatur lib. 1. c. 45. Siquidem et  
 quod decet honestum est; et quod honestum est decet, vt magis in ser-  
 mone distinctio sit, quam in virtute discretio. Differre enim ea inter  
 se intelligi potest, explicari non potest (quippini? Philosophis alias  
 explicatu non adeo impossibile est, quod per rationem recte intel-  
 ligant.) Et vt conemur aliquid eruere distinctionis, honestas veluti  
 bona valetudo est et quaedam salubritas corporis: Decus autem tan-  
 quam venustas et pulchritudo sit. Sicut ergo pulchritudo supra  
 salubritatem ac valetudinem videtur excellere, et tamen sine his  
 esse non potest: sic honestas illud decorum in se continet, vt ab ea  
 profectum videatur, et sine ea esse non possit. Veluti salubritas  
 igitur totius operis actusque nostri honestas est, et sicut species est  
 decorum, quod cum honestate confusum opinione distinguitur.  
 Nam etsi in aliquo videatur excellere, tamen in radice est hone-  
 statis, sed flore praecipuo, vt sine ea decidat, in ea flore at. Quid  
 enim est honestas, nisi quod turpitudinem quasi mortem fugiat?  
 Quid vero inhonestum, nisi quod auiditatem et mortem asserat?

Haec



Haec quidem more oratorio satis prolixè, nescio an Philosophico acumine etiam satis accurate et distinctè.

§. XII. Mediolanensi Episcopo, iungendus est Hippo- *Augustini sententia de honesto*  
nensis in Africa *Aurelius Augustinus*, doctus et in Philosopho-  
rum scriptis non parum versatus Praesul. Reprehenduntur *Lib.*  
14. de Civ. D. c. 20. Cynici (quorum auctor notante *Io. Ludov.*  
*Vire* in Comment. ad h. l. Antistenes Socratis discipulus fuit,) quod ipsos non puduerit palam id agere, quod iustum est, ut fiat in vxore, nec in platea qualibet, coniugalem concubitum deuitarint. *Vicit tamen*, inquit Episcopus, *pudor naturalis opinionem huius erroris*, et nonnullis interiectis, *pudet huius libidinis humanam sine ulla dubitatione naturam, et merito pudet.* Verum cur merito pudeat humanam naturam, quod tamen ut agere possis iustum est, eius rei plenam explicationem omittit. Sane *Io. Christ. Beccmannus* in Med. Polit. c. 7. §. 13. docet congressi cum uxore tam esse naturale, siue ad instrumenta generationis, siue ad modum congressus respexeris, quemadmodum naturale est edere et bibere. Nec meminimus Augustinum, ubi pasim in commemoratione turpium et honestarum actionum versatur, definitionem honesti in dictis libris proposuisse, nisi forte definitionem, quam Aquinas. II. 2. qst. 145. ex August. tom. 4. lib. 83. affert, huc pertinere putemus, *Honestatem voco intelligibilem pulchritudinem.* Quod vero *lib. 5. c. 20.* ostenditur tam turpiter et ignominiose virtutes seruire humanae gloriae, quam voluptati corporis, hoc ad redarguendum potius, quam ad edocendos alios pertinet.

§. XIII. Qui in refutandis Philosophorum sententiis felicior, quam in confirmanda veritate ab eruditis iudicatur *Lactantius Firmianus*, quique teste *Beccano*, in Theologia Scholastica P. 2. c. 1. q. 11. pag. 30. multos errores habet, et magis Ciceroni quam sacrae scripturae operam dedit, cum in suis institutionibus diuicis *lib. 6. c. 5. p. 513.* edit. Oxon. Lucii versiculos falsitatis arguit:

*Virtus est hominis, scire id, quod quaeque habeat res,  
Virtus, scire homini, rectum, vile, quid sit honestum,  
Quae bona, quae mala sint, quid inuile, turpe, inhonestum*



noxi subdit, tanquam emendaturus perperam dicta de suo: *Vir-  
tutem esse dixit: scire quid sit bonum et malum, quid turpe quid  
honestum, quid utile, quid minus. Breuius facere potuit, si tan-  
tum bonum ac malum diceret; quia nihil potest esse utile vel ho-  
nestum, quod non idem bonum sit. Nihil inutile ac turpe, quod  
non idem malum.* Nec cui dubium esset, cuius in hac opinio-

Lactantii sen-  
tentia de ho-  
nesto.

ne sententiam sequeretur statim addit: *Quod et Philosophis vide-  
tur, et idem Cicero in tertio supra dicti operis libro ostendit.*  
Locutus autem erat Lactantius cap. 2. p. 503. de Officiis Cice-  
ronis, quae Catulus in Hortensio tanti fecerat, ut dixerit, mal-  
le se vnum paruum de officio libellum, quam longam oratio-  
nem pro seditioso homine Cornelio.

Ciceronis sen-  
tentia de ho-  
nestate.

§. XIV. Dixerat nimirum Cicero 2. Offic. p. 68. edit. Gro-  
nov. Stoicis placere, honestum esse solum bonum. Peripateticis  
videri, honestum ita summum esse bonum, ut omnia ex  
altera parte collocata, vix minimi momenti instar habeant.  
Socratem vero eos execrari solitos fuisse, qui primum haec na-  
tura cohaerentia (bonum scilicet atque honestum) opinione  
distraxisset, hinc Stoicos statuisse, ut quicquid honestum esset,  
id utile esse censerent: nec utile quicquam, quod non honestum.  
Ipse autem Marcus orator 1. offic. *Illud honestum, in-  
quit, quod exquirimus, totum est positum, in anima, cura et  
cogitatione, et quod ex animo excelso magnificoque quaerimus  
honestum, animi efficitur non corporis viribus.* Secutus loeo dic-  
to Platonem, quatuor honesti ex quibus oriatur, partes facit,  
perspicentiam veri solertiamque, tuendae societatis curam tri-  
buendo suum cuique, animi excelsi atque inuicti robur, modesti-  
am atque temperantiam. Quorum explicationem late deinceps  
et per partes exequitur.

Ciceronis de-  
scriptio hone-  
sti.

§. XV. Multo tamen pressius definitionem honesti ponit  
de finibus Opp. tom. 4. p. 86. e. *Honestum id intelligimus, quod  
tale est, ut detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibus-  
que, per se ipsum possit iure laudari.* Explicationis causa addit:  
*quod quale sit, non tam definitione, quam usus, intelligi potest,  
(quanquam aliquantum potest) quam communi omnium iudicio,  
et optimi cuiusque studiis atque factis, qui permulta ob unam  
eam causam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum  
est.*



est, est nullam consecuturum emolumentum vident. Alio loco dixerat, honestum esse per se expetendum. Multa vidit homo Ethnicus, et pauca desiderari in eius explicatione potuissent, si quid illud per se ipsum, detracta omni utilitate, fructibus et praemiis esset, dilucidius explanasset: Illud enim quod in explicatione adicit, periculo non caret, ut communi omnium iudicio, licet definitione intelligi non possit, experiamur, quid sit honestum. Iudicia hominum varia sunt, atque uti quis animo compositus, affectione et studio in rem propendet, in diversa aut contraria ire solet, quod imaginationis vitio, haud raro contingit, nulla licet ratione suffultum sit.

§. XVI. Videamus an rem acutius tetigerit *Aristoteles Stagiritica*, qui per nonnulla secula princeps Scholae habitus, communi elogio floruit. Nicolaus Taurellus de Scaligero nos docet, quod ipsum appellarit, *summum dictatorem sapientiae, summum Philosophiae Imperatorem, Philosophici Regni Aquilam, Veritatis Herculem, Principem, Tribunal, Philosophorum Numen, virum omni laude maiorem, omni calumnia potiore.* Comenius praefat. *Synops. Physicae ad lumen diuinum reformatae.* Eundem tanto honore dignati sunt Colonenses, test. Cornel. Agrippa de Vanit. scientiar. c. 45. ut ipsum divis annumerauerint, comparatione inter ipsum et Iohannem Christi praecursorem instituta, altaria extruxerint mortuo, festosque dies positis imaginibus instituerint. Sturmus Philos. Eclectic. c. 1. diff. 1. Sed istud quidem Philosophus, ut opinor, non exegit, utpote de quo *Iacotius Vanderopanus* in placitis Philosophorum in Aristot. p. 238 affirmat, ipsum veteres Philosophos accusasse, qui existimarent, Philosophiam suis ingeniis esse perfectam, eosque dixisse stultissimos aut gloriosissimos, sed se videre, quod paucis annis magna accessio facta esset, breui tempore Philosophiam plane absolutam fore.

§. XVII. Postquam *I. ἠθικῶν* sive de moribus *Cap. 1.* dixisset; Honesta et iusta, de quibus civilis doctrina considerat, tantam differentiam tantumque errorem in se habent, ut lege non natura esse videantur, in bonis enim talem quendam errorem inesse propterea patet, quod multis damna ex ipsis eueniunt

De  
Philosophia  
Aristotelis.

Aristotelis  
sententia de  
honesto.



sunt: nonnullos ob diuitias, alios ob fortitudinem perire. *Lib. 7.*  
 Ethicorum ad Eudemum *c. 15.* honestum virum hunc in modo  
 describit: καλὸς δὲ ἀγαθὸς τῶ τῶν ἀγαθῶν τὰ καλὰ  
 ὑπάρχειν αὐτῷ δι' αὐτὰ, καὶ τῶ περιλήκιος εἶναι τῶν καλῶν καὶ  
 αὐτῶν ἕνεκα. *Honestus autem bonusque dicitur, et ex eo, quod*  
*honeste bona per se ipsa insunt illi, et eo quod bonorum idque*  
*ipsorum gratia effectiuus existat.* Ipsa vero honesta vocat  
 Rhetoricorum ad Alex. *c. 1.* ἀφ' ὧν ἐνδοξία τις, καὶ ἡμῆ  
 ἡς ἐνδοξὸς γενήσεται τοῖς περιήκασιν ex quibus splendor  
 aliquis atque illustris bonos, in eos qui aliquid gesse-  
 rint, emanaturus sit. Plenior autem huius rei descriptio  
 extat I. Rhetoricorum *c. 9.* καλὸν μὲν γὰρ εἶναι, ὃ ἂν δι' αὐτὸ  
 εἰρητὸν ὢν ἐπαίσιον ἢ, ὃ ἀν' ἀγαθὸν ὢν, ἢδὲ ἢ ὅτε ἀγαθόν.  
*Ac honestum quidem est, quod cum per se eligendum sit, lau-*  
*dabile est, vel quod cum bonum sit iucundum est quia bonum.*  
 Quaeri hoc loco perspicuitatis causa potest, quid illud per se  
 eligendum notet, cur honestum per se eligendum sit, et quam  
 ob causam si eligatur existat. Quibus minus dilucide expli-  
 catis, est, in quo haerere non immerito lectoris opinio cogi-  
 tur.

Plutarchi sen-  
 tentia de ho-  
 nesto.

§. XIX. Plutarchus Cheronensis optimi Imperatoris Tra-  
 iani Praceptor, Bodino teste *Method, c. 3.* summae sapientiae  
 studio, rerum gerendarum usum adiunxit. Cuius sapientes et  
 eruditi sermones *Anton. Viperani* iudicio de scribenda *Histo-*  
*ria c. 11.* semper aliquid monent, semper docent, semper opti-  
 mis moribus lectorem instituunt, vt adeo qui bibliothecam  
 Constantinopoli in mari abiiciendam coactus erat, extremo lo-  
 co Plutarchum conseruandum iusserit. In *Comment. de virtute*  
*moralis Opp. tom. 11. p. 441* Menedemum Eretriensem adducit,  
 qui virtutum multitudinem et differentias sustulerit, et Aristo-  
 nem Chrium, qui vnicam virtutem, quod ad substantiam at-  
 tinet fecit, certarum autem respectu rerum plures. Chrysi-  
 pum autem, dum secundum qualitatem, quamuis peculiarem  
 virtutem putauit debere constitui et a gratuito gratiositatem, a  
 bono bonitudinem, a magno magnitatem, ab honesto honesti-  
 tudinem (ita enim vertit Xylander Plutarchi voces καλεῖν  
 τότῃ



τὸ τῆς ἐὸς λόγῃς, μεγαλότῃς, καλότῃς) designavit multis et  
 absurdis nominibus, nihil tale desiderantem Philosophiam im-  
 pleuisse. Secundum quam sententiam non est, cur de singulari  
 honestatis definitione simus solliciti, cum vnica tantum detur  
 virtus, quomocumque ipsam appellaueris, Quam opinio-  
 nem Petrum Lombardum sententiarum Magistrum quoque propu-  
 gnare legimus sentent. l. 3. Dist. 36. Chrysippeum autem argumen-  
 tum Plutarchus Comment. de repugnantiis Stoicorum propo-  
 nit et refutat. p. 139. *Quod bonum est, id expectandum: quod expe-*  
*tandum, id placet: quod placet, laudabile est: quod laudabile, id est bo-*  
*nestum. Item bonum quod est, id affert gaudium: quod tale est, id bo-*  
*norabile, atque hoc porro honestum est. Hae vero rationes cum isto*  
*pugnant. Sive enim omne bonum laudabile est, fiet ut nos a*  
*vetula abstinere laudem mereatur, siue non mereatur, iam non*  
*omne honorabile bonum et gaudium afficiens erit. Atque sic actum*  
*erit de hac ratione. Fortassis enim fieri potest, ut ineptum sit,*  
*alios talem ob rem laudare: ipsum aliquem tali suo facto gaudere*  
*et gloriari ridiculum non sit.*

§. XIX. Scuerinus Boetius Consul quondam Romanus Boetii senten-  
tia.  
 et officiorum Magister in libris suis de Consolatione Philoso-  
 phica lib. 3. Platonis doctrinae de rerum reminiscencia vehemen-  
 ter assentitur. Fatum autem lib. 4. ad dogmata Stoicorum praec-  
 ipue recentiorum accommodat, cum vocat inhaerentem rebus  
 mobilibus dispositionem, per quam providentia suis quaeque  
 nectit ordinibus. Add. Lipsius I. Polit. n. 4. Manud. ad Phil. Sto-  
 ic. Docet, l. 2. nihil esse miserum, nisi cum putes, contra quod beata  
 fors omnis fiat aequanimitate tolerantis, l. 3. probat, quod nulla  
 res mortalis, veram consequatur beatitudinis rationem extra De-  
 um, et 4. lib. infeliciores esse improbos impuritate donatos, vt-  
 pote quorum sceleribus poenae continuae addantur, ac proinde  
 concludit, bonum esse omne quod iustum est, contra, quod in-  
 iustum est, malum. Quae illius sententia neque Platoniorum  
 nec Stoicorum dictatis circa honestum non admodum repugnans  
 sed congrua est

§. XX. Scholasticorum elogio appellatus Doctor Ange- Thomae Aquí-  
natis senten-  
tia de honesto.  
 licus, et uti habet editionis Lugdunensis, quae 1675, produit,

C

Lem-



Lemma in primo folii conspectu, diuinæ voluntatis interpretès  
*Thomas Aquinas* I. Secundæ quæst. 39. art. 2 Concl. Omne  
honestum ex duobus procedere dicit: scilicet ex rectitudine ra-  
tionis et voluntatis. Secunda autem Secundæ quæst. 45. hoc  
de honestate axioma proponitur: *Honestas*, quæ temperantiæ  
quædam integralis pars recte ponitur et virtus, item honestum  
et spirituale decorum, nominibus quidem et nominum rationibus  
differunt, re autem subiecta penitus inter se conueniunt. At li-  
cet omne honestum vile sit et delectabile, attamen non solum no-  
minibus et nominum rationibus ista tria differunt, sed etiam si-  
gnificationis amplitudine, multa enim sunt delectabilia, quæ nec  
utilia nec honesta recte dicerentur, in cuius axiomaticæ explicatio-  
ne docet, Principale virtutis consistere in interiori electione,  
secundum *Arist.* 8 *Eth.* c. 13. Honestatem autem magis videri  
pertinere ad exteriorem conseruationem secundum *Paulum* Apo-  
stolum I. *Corinth.* XIV, 40. In Conclusionem autem, *Honestatem* ra-  
dicaliter consistere in interiori electione, significatiue autem in ex-  
teriori conuersatione. Cum adduxisset l. c. art. 2 Concl. *Dyo-*  
*nysium* de diuin. Nom. c. 4. requirentem ad rationem pulchri  
siue decori, claritatem et debitam proportionem, pulchritudi-  
nemque spirituales consistere in hoc, quod conuersatio homi-  
nis, siue actio eius sit bene proportionata secundum spiritua-  
lem rationis claritatem; putat *Aquinas* quod honestum idem sit,  
quod spirituales decor et pulchritudo, et quod propter se appeti-  
tur appetitui rationali, qui tendit in id, quod est conueniens ra-  
tioni. Art. 3 Concl.

Lamberti Velt-  
huysii de ho-  
nestate senten-  
tia.

§. XXI. Recentioribus temporibus Honestatis rationem  
ex pudore naturali, atque hunc ex conseruatione sui deduxit  
*Medicus* *Vltraiectinus Lambertus Veltbuysius*. In tractatu  
moralis de pudore et dignitate naturali hominis, qui in ipsius  
operibus *Roterdami* 1680 excusis extat, pag. 166 inquit: *Studium*  
*conseruandæ dignitatis maxime versatur in studio conseruandi*  
*decoris naturalis: (quod pudor præcipue complectitur) est enim*  
*illud nihil aliud, quam id quod est consentaneum hominis excel-*  
*lantiae in eo, in quo eius natura a reliquis animalibus differt.*  
*Sunt itaque pudoris magni usus et utilitates in vita humana.*  
*Est*





*Est omnis honestatis fundamentum: absque illo nullus modestiae decori et pudicitiae locus est, ita ut ubi ille exulat, omnia vitia, numeratis virtutibus opposita cateruatim hominis societatem invadant, ubi pudor bene excolitur, illic omnis barbaries facessit.* Prolixior deinde est in explicanda pudoris natura et origine, non solum hoc laudato tractatu, sed etiam in Epistolica dissertatione de Principiis iusti et decori Oper. p. 961. Verum quid in Velthuyssii meditationibus circa hanc rem desiderari possit, quidue loco Velthuyssianae doctrinae commodius queat substitui, nos docuit, Iure-Consultus Celeberrimus Dn. *Christianus Thomaeus* cum in scriptis suis, quae in moralibus erudito orbi vulgavit passim, tum in iis, quae titulum praeserunt: *Kleine teutsche Schriften* p. 258. sqq.

§. XXII. Tres constituit leges, ex quibus de rectitudine et prauitate actionum moralium haberi iudicium possit, *Ioannes Lockius* Armiger, in opere ingeniosissimo de intellectu humano l. 2. c. 28 §. 7 seq. *Legem divinam, legem civilem, legem existimationis.* Constans inquit §. 10. ubique opinio est virtutem et vitium nomina esse actionis, signantia ex natura sua honestas et turpes et §. 13. hae tres itaque 1. *Lex Dei* 2. *Lex politicae Civilis* 3. *Lex consuetudinis* siue tacite existimationis eae sunt, ad quas homines actiones suas varie referunt: et ex conformitate illarum, ad unam aliquam ex hisce legibus homines eas metiuntur, quotiescunque de morali illarum rectitudine iudicium ferre, et actiones suas bonas vel malas denominare volunt.

§. XXIII. Non minori doctrina et ingenio se publico *Dn. de Tschirnhaus* commendat methodus circa moralium tractationem illustris Domini *de Tschirnhaus* quae commonstratur Medicinæ mentis et corporis *part. 2. p. 238.* De cuius operis praestantia videri prolixè potest Celeberrimus, dum viueret, Polyhistor *Morborum* in Polyhistor. l. 2 c. 7. pag. 385. seq. et cap. 9 pag. 424. Atque in scripto, cui nostro idiomate titulus est: *gründliche Anleitung zu nützlichen Wissenschaften / absonderlich zu der Matheſi und Physica* §. 12 p. 10. secundum quam methodum, obseruanda est in vita, notio conuenientiae et inconuenientiae, siue de-



cori, notio veri et falsi, siue sapientiae, denique notio boni et mali, siue virtutis. Dignissima cognitu sunt, quae circa acquirenda haec omnia distincte edisseruntur Medicinae mentis loco paulo ante adducto. Quantum exinde colligi potest, videtur honestatis notio ad tertiam praecipue de bono et malo referenda esse, licet notio veri et falsi non excludenda plane sit, utpote quae reliquis communis est, ceterasque omnes, si termino methaphysico loquendum est, transcendit, commoente ipso Illustri auctore in solida manuuctione §. 12.

Hugonis Grotii  
et Pufendorffii.

§. XXIV. Summus Vir Hugo Grotius libro de Iure Belli et Pacis lib. 1. c. 2. §. 1. num. 3 honestum duplici respectu intelligi posse nos docet, vel quatenus in puncto consistit, ut, si vel minimum inde abeas, ad vitium deflectas, vel quatenus liberius haberi spatium, ita ut et fieri laudabiliter, et sine turpitudine omitti aut aliter fieri possit. Hinc deberi aliquid vel orta obligatione ex iustitia, vel laxius ex honestate lib. 2. c. 7. §. 4. lib. 3. c. 3. §. 6. lib. 2. c. 13. §. 7. lib. 2. c. 14. §. 6. Quo sensu honestum est, quod rectius fit, quam quod non fit. lib. 3. c. 10. §. 1. §. 2. num. 1. 2. Vti parcere hosti victo, egenti dare elemosynam. De praeepto autem honeste viuendi aduersus se ipsum, videri potest Hugonis frater Guilielmus Grotius c. IX. de principiis iuris naturalis. Sequitur doctrinam Grotii Pufendorffius, hinc ipsi nata est distinctio inter Ius perfectum quod Grotius dixerat debitum ex iustitia, et imperfectum, quod Grotio est obligatio ex honestate, saepius variisque in locis ab ipso inculcata, de officio lib. 1. c. 9. §. 4. c. 6. §. 5. et 2. c. 14 §. 14. de iure Nat. et Gent. lib. 3. c. 4. §. 3. 5. Ceterum honestatem vocat. 1. c. 1. §. 6. affectionem actionis, quae cum lege aut norma conuenit. Intelligitur autem Lex tam diuina quam humana. Non uti Hobbesius de Ciue c. 14. §. 10. et c. 6. §. 9. falso existimat, Lex imperantis sola, quod recte notauit Dn. D. Titius in obseruationibus ad Pufendorffium p. 577.

Quid de distinctione Iuris perfecti et imperfecti sentiendum sit.

§. XXV. Quod ad peruulgatam distinctionem a Grotio et Pufendorffio, ceterisque Iuris Naturalis Doctoribus adhibitam, inter ius perfectum et imperfectum attinet, popularis illa potius, et ex vsu fori ciuilibus desumpta est, quam ut adeo accurata, aut magni vsus sit ex virtute agendi, atque obtinere

tan-



tantum potest apud homines inhumanos, et quibus perexiguus virtutis sensus inest, quos Philo Iudaeus vocat, duro atque infaciabili ingenio, siue odio humani generis, siue dura domina iracundia, et morum feritate subactos. Rectius magisque pie Seneca de Ira l. 1. c. 27 inquit: *Quam angusta innocentia est, ad legem bonum esse? quanto latius officiorum patet quam iuris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quae omnia extra publicas tabulas sunt?* Nuaquam igitur Vir honestus ab officio alteri, qui eo dignus est, praestando se liberabit, hoc praetextu, quod iure perfecto, hoc est ex pacto vel promisso vel lege publice lata, ipsi nihil debeat. Perfecte enim inter homines honestos etiam debetur, quicquid ex honestatis et rationis rectae dictamine alicui praestari potest, licet pactum, et legis auctoritas desit. Bene Erasmius in Enchirid. militis Christiani, non vindicant hoc leges? at vindicabit Christus. Quod autem iuris perfecti et imperfecti nomen inuenerit, illud inde est, quia in foro ciuili homines improbi ne id quidem explere cupiunt ad quod ex iustitia, pacto, contractu et lege lata obstringuntur, a quibus proinde honestiora officia, hoc est, quae ex libera virtute, non legis ciuilis coactione proficiscuntur, ne expectari quidem, nedum exigi possunt.

§. XXVI. Excellentissimus Dn. Stryckius in tractatione Academica de iure liciti sed non honesti c. 1. §. 21 plana definitio-  
*ne honestum* explicat, quod in vero et proprio sensu nihil aliud sit, quam id, quod legibus conuenit. Intelligentur autem praecipue leges diuinae, ut nihil honestum dici debeat, quod iuri diuino repugnet, hinc nulla inter honestum et iustum differentia admittitur §. 24. l. c. An vero nullum detur *πρότερον* siue decorum, a vera honestate diuersum, quod vel minima parte ab honesto descendat, uti §. 47. 58. et 73. statuitur, dubio non caret. Congredi in propatulo cum vxore, quod Cynici faciebant, et si Dn. le Morbe de la Vayer fides habenda, hodieque secta inter Mahum edanos aliqua idem agit, decorum certe non est, honestum omnino est. Quoniam nulla lex diuina, (quae vnica honestatis norma ab ipso proponitur,) et quantum meminimus, neque ciuilis lata huic congressui obstat. Altos ducere ronchos, lutulentis

Dn. Stryckii  
 de honesto  
 sententia.





aut stillantibus illuvie naribus assidere, capillos meduseos viperarum veluti furiarumque horrentes formis circumferre, apud viros compositi moris et non sordidos, indecorum est, inhonestum non est. Capillamentum aut faciem liberalem et formosam circumferre, decorum est, honestum non est. Contraria enim forent inhonesta, quod dici nequit. Apostolo *I. Cor. XI. 13.* indecorum vocatur, mulierem ἀναταλάσπον τῷ Θεῷ προσεύχεσθαι non oportet Deum orare, uti Beza vertit, idem tamen nulla lege diuina aut humana inhonestum dici potest. Quod si vero decorum ad mores regionis accommodatum sine peccato datur, idem tamen in virtute non est; honestum contra nunquam indifferens est, sed semper in virtute ponitur, admitenda omnino videtur esse differentia inter decorum et honestum. Circa dictionem graecam, καλῶς βίβην, notandum est, τὸ καλὸν graecis prima notione pulcrum siue formosum, altera deinde etiam bonum aut honestum indicare. Inde Maximus Monachus *centur. 5. ταυτὸν τὸ ἀγαθὸν καὶ καλὸν, πᾶσι γὰρ ἐστὶ τὸ καλὸν καὶ ἀγαθόν, ὡς ὄντως ἀγαθόν, ἐφελόν καὶ ἐρασόν, καὶ αἰετὸν καὶ ἀγαπήθον.* Idem est bonum, quod pulcrum; omnibus enim pulcrum bonum est, ut vere admirandum, desiderabile, amabile, eligendum et desiderabile. Contra apud Hebraeos vox כַּיִן primo bonum, post latius dimittendo pulcrum designat. vid. Gattakerus dissert. de noui Instrumenti Stylo c. 13. p. 87. Scapula voce καλός.

Guilel. Kingi  
Angli et Phi-  
laretii.

§. XXVII. A Guilielmo King nupero scriptore Anglo, Episcopo Decensi in opusculo de Origine mali c. V. sect. 1. sub. 1. §. 6. pag. 93. edit. Lond. Honestum id esse confirmatur, quod agenti ratione praedito congruit, congruere vero ei, et rationem ipsam dictare, ut omnibus perpenſis ea praeferamus, quae commoda maiora, certiora et diuturniora ferant. Putat enim Auctor bonum dici *incundum*, quod praesenti appetitui conuenit; bonum *vile*, quo appetitus quidem in praesenti frui non potest, connexionem tamen habet cum boni, quod appetimus, consecutione. Quando vero mens omnia bona considerat et expendit, illud quod in inquisitione et deliberatione omnium vltimum, absolutissimum, et quod certam et perpetuam



tuam habere delectationem deprehenditur, bonum *honestum* est dicendum. Haec aliquantisper accuratius esse meditata apparent, quam quae Anonymus *Philaretus* in *Ethica* sua p. 127. de vili, iucundo et honesto profert. *Vile* vocat, quod amanti conducit ad assequendum maius bonum; *Iucundum*, quod amantem delectatione iuuat; *Honestum*, quod amori veritatis conuenit, atque ea propter solum amatur, quia ratio siue veritas menti cognita iubet.

§. XXIX. Prodiit 1689 Hagae comitis, gallico Idiome *Auctorum Gal-*  
*lorum* dissertatio de decoro, *discours sur La bienséance*, in qua decori natura, differentia ab honestate atque modestia; tum quid decorum in viro, foemina et Christiano exigat, explicatur. Differentiam honestatis a decoro p. 11. in eo constituit, quod *honestas* tam nostri quam aliorum rationem habeat; decorum autem nostri solum, in quibusdam rebus: deinde in eo, quod honestas virtus sit homiletica, quae se multiplicet et reproducat ad modum quo illa exercetur. Itaque aduersus quos nos honeste gerimus, obligantur inuicem, ut itidem honeste se aduersus nos gerant, quod de decoro secus esse putat. Decorum enim ad paria praestanda neminem obligare. Auctor Anonymus, qui tractatum de fastu, *traité de L' orgueil* Amstelodami 1692. edidit, distinguit p. 190. c. 15. inter honestum virum et virum honestum, entre un honête homme et entre un homme honête. Apponemus ipsius verba ex gallico in latinum conuersa, quae ita habent: *magnam ego differentiam constituo inter honestum virum (un honête homme) et virum honestum, (un homme honête) Vir honestus (un homme honête) est, cui honestas adest, hoc est, vir, qui nouit se gerere aduersus alios, imprimis aduersus aequales et inferiores, ut eos minime offendat, atque sic quidem, ut ipsos sibi deuinciat. Honestus autem vir (un honête homme) praeter honestatem hanc, necessum est, ut habeat probitatem, fidem, constantiam, sinceritatem, generositatem, liberalitatem, sit religiosus verborum suorum obseruator, atque ut paucis dicam, possideat omnes perfectiones, quae apud homines in pretio sunt. Et tanquam virtutes aestimari solem.* Videtur  
estla-



efflagitari ab honesto homine, sola societatis cura; a viro autem honesto, conscientiae et virtutum omnium observatio, Dominus Abbas Goussalt Sorbonae Parisiorum Licentiatius, et antehac Consiliarius Parlamenti, edidit Parisiis 1694 Gallice effigiem honesti viri: *Le portrait d'un honnête Homme*, atque eodem anno, Effigiem honestae, rationabilis et vere Christianae foeminae, *Le Portrait d'une femme honnête, raisonnable et véritablement chretienne*. In quibus libellis non id quidem exequitur, vt honestatem Philosophica accuratione demonstraret, interim officia pleraque honesti viri et foeminae, certis capitibus, et comprehensis Lemmatibus capitum indicat, et ingeniosis meditationibus explanat, vt iis qui praxin honestae vitae imprimis ob oculos habent, non inutilis lectu esse possit, vt *Diff. Post. §. 31.* ex capitum inscriptionibus libri primi intelligi potest.

*Juris Civilis  
Doctorum.*

§. XXIX. Honestum inter plures alias acceptiones *l. 16 coll. l. 38 de operis libert.* a Paulo Icto significationem rei habet, quae cum turpitudine non coniungitur. Conf. *Brissonus*. Quid vero per turpitudinem notetur, non adeo expeditum est. Nam. *l. 28. §. 2. et l. 38. §. 3. de poenis l. 3. §. 5. D. ad L. Corn. de Sicar.* honesto etiam plebeius et egenus opponitur, qui proinde secundum hanc sententiam, si non in turpi, minus tamen honesto statu versatur. Et *Calvinus* ex variis Iuris civilis textibus norat, licet auctoribus non omnibus consentientibus, allegare non licere turpitudinem suam, id est, uti ipse exponit, quod quis turpiter, inhoneste indecoreque fecit. Ex quo colligitur, ipsum vel Synonymicis vocibus nihil significare, vel distinguere turpe ab inhonesto, inhonestum ab indecoro. Celebratur alias apud Iuris-consultos dictum *Modestini l. 42 de ritu Nupt. et l. 44 l. 197. ff. de reg. iur.* Non solum quid licet considerandum est sed quid honestum sit. Non omne quod licet honestum est. Add. *Corassi Miscellan. Iur. Civ. l. 7. c. 28. p. 607.* Videtur Iure-consultus ob oculos sibi constituisse, statum hominum in Republica civili ex consuetudine vulgi versantium, et eorum, qui ad rationis et conscientiae ductum viuunt. Multa enim tan-



tanquam licita plebi concedenda sunt, quae vir honestus facere erubescit, sibi que licere per honestatem indignum putat. Sed de textuum horum explicatione, accuratius viderint Iuris Iustiniani explanatores.

§. XXX. *Sacrae literae* diuersis vocibus significationem honestatis proponunt, quae si secundum ἀρετήων Philologiae Criticae sacrae excutienda forent, peculiarem tractationem poscerent, sed ne finium regundorum iudicio nobiscum agi necesse sit, aut nouum opus nunciare fundum nostrum egressis, quaedam saltem ad institutum nostrum pertinentia historica recensione adiciemus. Vtitur scriptura ad designandam vitae honestatem voce σεμνότης I. Tim. II, 2. Tit. II, 7. et adiectiuum τὸ σεμνὸν legitur Tit. II, 2. vti etiam I. Tim. III, 8. Quod nonnulli interpretes, per grauitatem morum reddunt apud Polum in Synopsi Criticor. Vol. IV. p. 1149. edit. Lond. Erasmus vertit per honestatem, Beza per venerandam grauitatem, quam in verbis et in ipso habitu prae se ferre debent ministrantes in Ecclesia. Ad locum autem priorem Epistolae ad Timotheum, in annot. suis addit, complecti vocem σεμνότης omne officii genus, quod vigere in mutuis hominum commercijs debet, vt nihil turpiter aut indecore nihil denique flagitiose fiat. Grotius ex Aristot. interpretatur per βαρῦτητα εὐχαρίμων, de quo §. sequenti agemus. Docet autem Aristoteles, quod σεμνότης honestas in medio superbiae et scurrilitatis sit. σεμνότης ἔνν ἀνδρείας ἀνὰ μέσον τε καὶ ἀεστῆκίας. Ceterum τὰ σεμνά, ad quae Apostolus Phil. IV, 8. hortatur, Zegerus transtulit per seuera, Menochius, Cameron et Zanchius per grauia aut grauitatis plena. Cui responderē videtur Hebraicum בנירים Prov. VIII, 6. Principe digna, aut talia, quae dignitate principali se commendant. Vid. Cocceius.

§. XXXI. Ad denotandam honestatem adhibetur quae in scriptura vox εὐσχημον et εὐχρημοσύνη. I. Cor. XII, 23, 24. I. Cor. XIV, 40. Rom. XIII, 13. Videtur tamen τὸ εὐσχημον etiam ad decorum pertinere. Quemadmodum τὸ πρέπων de decoro usurpatum legimus I. Cor. XI, 13. Hinc quando B. Lutherus textum

D

tum



tum *I. Cor. XV. 40.* vertit: laßet alles ehelich zugehen / *Erasmus Schmidius* in opere posthumo p. 1094. *ἐυχρημόως* transferret decenter: Quod *Heinricus Hammondus* et ipsum secutus *Ioh. Clericus* in sua N. T. editione *rom. 2. p. 124.* sic *παραφράζει*: Omnia itaque fiant pro consuetudine Ecclesiae, (quae est norma decori) et pro institutis, quae nunc ut alias vobis tradidi, vel tradam. Et *Beza* putat *ἐυχρημόως* idem esse quod *πρός τὸ ἐυχρημον*, allegans locum *I. Cor. VII. 35.* Quem *Lutherus* in sua versione Germanica reddit, daß es sein ist. Huc faciunt verba *Paraei* apud *Polum I. c. p. 516.* decorum opponitur vanitati, sordibus, luxui: Ordo confusio, perturbationi, Facit hic *Apostolus* Ecclesiae potestatem, de decoro et ordine Ecclesiastico leges ferendi, prout aedificatio quouis loco postulabit. Quanquam idem *Paraeus* ad locum *Rom. XIII. 13.* in quo homines *ἐυχρημόως* ambulare iubentur, monet, quod *Paulus* hanc vocem opponat, τὸ εὐσεβὲς pie ambulare, ut eam nobis honestatem *Paulus* commendat, quam omnes non omnino bruti homines observant, quasi diceret, fideles vel maxime debere abhorreere a vitis, quae ipsa honestas etiam in non renatis aueratur.

De voce  
κόσμιον.

§. XXXII. Α τὸ ἐυχρημον parum abicit vox κόσμιον, vsurpata a *Paulo* ad instituendos Ecclesiae ministros *I. Tim. III. 2.* et ad foeminarum sanctarum mores *c. II. 9.* scilicet quomodo ipsae sese componere debeant. Quidam cultum hunc, quem minister Ecclesiae prae se ferre debet, exponunt de internis, quando nimirum quis de se conuenienter sentit neminemque despicit: aliqui vero de externo habitu, quasi *Apostolus* praecipiat ministro Ecclesiae, ut non sordide aut indecenter, sed ornate ad morem consuetum se vestiat. *vid. Ed. Leigh. Critica sacra pag. 183.* Ideoque vocem κόσμιον *Erasmus* vertit *Modestus*, *Beza* *compositus*, *Bullingerus* *bene moratus et compositus*, *Arnetius* *bonis moribus et concinnis praeditus*, *Vulgata* *ornatus*. *B. noster Gerhardus* in annot. ad *Epist.* hanc p. 47. explanat τὸ κόσμιον Ecclesiae ministri hunc in modum, ut in vultu, incessu, sermone, ac toto corporis habitu bene decenterque compo-

situs



fitus sit. Quae fere verba repetit et dilatat *Frid. Bechmannus* tractatu de cognitu necessariis in praeparando futuro Ecclesiae ministro c. 13. quod de vita Ministri inscribitur §. 6. p. 73. Requiritur, inquit, vt Ecclesiae Minister sit *κόσμιος, ορηαίης*, h. e. in cultu, incessu, sermone, et toto corporis habitu, bene et decenter compositus, vt temperata sit grauitas, vt ametur et timeatur instar Patris, non fugiatur vt hostis.

§. XXXIII. *καλόν* pro honesto adhibitum legimus *Matth. XV. 26.* Luc. autem *VIII. 15.* dicitur corde *καλή* καὶ ἀγαθῆ καρδία honesto et bono auditum fuisse sermonem. Quod *Erasmus* per conduplicationem Hebraicam, dici putat pro egregie bono, vt *Ierem. XLIII. 3.* de ficibus legitur, quas propheta viderat *רַחֵם טוֹבוֹט טוֹבוֹט* bonas bonas valde. *Leigh.* vero hoc purum dicendi genus Graecum esse docet, et ex ipsis Philosophiae aditis petitum. Quia enim alia sunt externa fortunae et corporis, alia vero animi bona, hominem his omnibus ornatum, Graecos *καλόν καγαθόν* vocare, *καλόν* ad externam vitam, *ἀγαθόν* ad veras animi virtutes referri putat. *καλόν* tamen per bonum vertitur ab interpretibus, quia eximia pulcritudo non prodest, si malus aut noxius sit fructus. In quibus ea bonitas requiritur, quae pulcritudini et venustati admista est. *Matth. c. XXVI. comm. 10.* ἐργον *καλόν* dicitur, opus pulcrum, egregium et laude dignum, *ἀπὸ τοῦ καλῆν*, quod pulcritudo omnium oculos alliciat et aduocet. Vide praeterea de quatuor *τὸ καλῆ* sive honesti speciebus ex *Suida Crauserum* in Phosphoro Nov. T. voce *καλόν*.

§. XXXIV. Ex Menandri Poetae Carminibus Iambicis adduxisse legimus Paulum *I. Cor. XV. 33.* *Φθειρέσω ἢθη χερσὶν ὁμολίαι κακαί* vbi honesti mores significantur per vocem *χηρῶν*, qui corrumpuntur per prauas conuersationes aut colloquia. *ἀγαθόν* autem varie accipitur in sacris litteris, de quorum significationum diuersitate prolixè et erudite agit *Erasmus Schmiidius* in annot. ad N. T. passim, imprimis p. 270. Notandum quod *ἀνὴρ ἀγαθός* Actor. *XI. 24.* et *Matth. XIX. 16.* notet virum moraliter honestum et probum. Qualis Luc. *XXIII. 50. 51.* describitur Ioseph ab Arimathia *ὄπισθεν ἀνὴρ ἀγαθός καὶ δικαίος*, vir honestus et iustus, qui non conserat in consilium con-

De voce *καλόν*.

De voce *χηρῶν* et *ἀγαθόν*.



demnationis Christi, sed expectans regnum Dei. Quales viri  
boni sine dubio dicendi sunt multi, qui in persecutiones bono-  
rum, quas ipsi impedire nequeunt, minime consentiunt. Ac-  
que in hac significatione *τὸ ἀγαθόν*, non dicitur tantum de per-  
sonis honestis, bonis atque probis, sed etiam de actionibus,  
causis et effectis, vti et adjunctis harum actionum moralium,  
vti sunt *ἔργα ἀγαθὰ* bona et honesta opera, ad quae condi-  
tum genus humanum esse dicitur in Epist. ad Ephes. c. II.  
v. 10.

Transitus ad  
nostram sen-  
tentiam,

§. XXXV. Atque haec fere sunt, quae circa honesti ra-  
tionem, ex Philosophorum cum veterum tum recentiorum pla-  
citis, et sacrarum literarum doctrina adduxisse in praesenti visum  
fuit. Quae vero nostra sit de honestate vitae sententia,

Dissertatione peculiari ad XVI. Iulii diem publice  
habenda explicabitur.





Leipzig, Diss., 1704

ULB Halle  
004 858 867

3




TA → OL


nur 1+5 Stück verknüpft

• WD 18









278

1704, 70

58a  
M

QVID SIT  
**HONESTE VIVERE,**  
*secundum naturae praecepta.*

In  
ACADEMIA LIPSIENSI  
DVCTV

**M. IMMANVELIS PROEELI,**  
Facult. Philos. Assessoris,

7

explicabit

**IO. FRIDERICVS KANDLER,**  
Schwarzenb. Min.  
S. S. Theol. Stud.

Dissertatione Priori,  
*Ad D. XII. Jul. MDCCIV.*

---

LIPSAE,  
Typis CHRISTIANI GOEEL.

*H. M. Olearij*

